



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Monumenta Paderbornensia**

**Ferdinand <II., Paderborn, Bischof>**

**Francofurti ; Lipsiæ ; Norjbergæ, 1713**

XI. De occupato à Saxonibus Alisone, & origine Paderbornae.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-29975**

rum quod Drusus fecerat, ut ad domandos, & continendos in potestate populi Romani tot bellicosos Westphaliæ populos (sic enim loquamur, tamen necdum Westphalia dicebatur) hoc castellum in mediis eorum finibus collocaret, idem existimo plurimum profuisse Sicambriis, qui illud post id locorum obtinuerunt, ad eosdem populos communis belli societate colligandos.

## C A P U T X I.

*De occupato à Saxonibus Alifone, & origine Paderborne.*

**I**nitâ illâ circa Gallieni tempora, populi olim discordes, Franci sunt appellati, quibus, ut ait Marcellinus, confines erant Saxones, gens primùm ultra Albim sita, ut ex Ptolemæo discimus, sed quæ deinde adjunctis sibi Cauchis, si Zosimo credimus, Juliani temporibus ad Visurgim usque dominabatur. Ab horum finibus usque ad Rhenum quæcumque gentes habitabant, Franci dicti, & eorum regio D. Hieronymo, Sulpitio Alexandro, & in veteri tabula itineraria Valentiniæ ætate descripta, quæ Amplissimi, & optimè de litteris meriti Viri Marci Velseri ope prodiit in lucem, Francia nominatur. Ac principiò quidem, cum, ut opinor, imbecillioribus singuli viribus erant, Franci & Saxones conjunctis consiliis, & opibus piraticam in Rheno ac mari exercentes Romanorum terras infestabant. Deinde, ubi seorsim satis utraque gens sibi posse visa est, Franci terrâ, quòd Sicambri nostri, & ceterorum plerique equitatu valebant: Saxones mari rem gerere cœperunt. Ac Franci quidem tandem aliquando transgressi Rhenum sedes in Romano fixerunt solo, & post multa prælia, subjugatâ Germaniâ primâ, ubi est Moguntiacum, & Belgicâ secundâ, in qua Sueffiones, Catalaunum, Ambiani, circa annum Domini ccccLvi. ad extremum in Gallia confederunt. Ho-

*Lib. 27.**Lib. 3.  
In vita Hi-  
larionis.  
apud Tu-  
ron. l. 1.  
c. 9.**Sidon. A-  
pollin. in  
panegy.  
Avitt.*

*Panegy.  
Constant.  
Apud Tu-  
ron. loc. cit.*

*Lib. 5. c. 12.*

*Philippus  
Cluverius  
l. 2. Germ.  
ant. c. 18.*

rum prosperam fortunam æmulati Saxones, à tregro confecti, transito Visurgi, regiones, è quibus illi migraverant, occuparunt. Neque tamen credibile est ita Francos excessisse, ut nulli remanserint. Nam ut alios taceam, Bruçteri, quos inter Francorum populos Eumenius, & Sulpitius Alexander numerant, longo post intervallo Boructuarii dicti, demum circa annum CHRISTI DCCVIII, ut testatur Venerabilis Beda, cum eis CHRISTI Evangelium afferre cœpisset S. Suibertus, à Saxonibus sunt devicti. Transferunt quoque in Saxonicum nomen Angrivarii, quos postea Angarios dixerunt. Itaque neque Sicambros planè deseruisse Alisonem, ut vacuum ingrederentur Saxones, equidem adducor ut credam; sed potius condendæ Paderbornæ Saxonibus causam dedisse. Id priusquam explanem, video mihi necessariò confutandas quorundam de origine Paderbornæ opiniones. Nam qui nobis tabulas Ptolernæi egregiè illustratas ediderunt, cum inter Germaniæ oppida Teuderium reperissent, non dubitarunt confirmare esse Paderbornam. At Teuderium, quòd Theudurum Antoninus vocat, non in Germania magna, sed in adversa Rheni ripa fuisse, ex ipsa itineris ratione, quam Antoninus persequitur, alii satis liquidò demonstrarunt. Nihil igitur Teuderium ad Paderbornam. Aliis visum est Paderbornam suam originem Carolo Magno debere, qui amnem è tribus fontibus hoc loco ortum, à Pado illo nobili Galliæ Cisalpinæ fluvio, cui tres item sint fontes, Paderam appellavit. Verùm Paderbornæ nomen antiquius esse Carolo Magno, liquet ex epistola S. Ludgeri ad Rixfridum Episcopum, ubi inter rebelles Saxones meminit Ogelli Oesterbach de Paderborne, qui cum anno DCCCLXXVIII. hoc est, proximo à suscepta fide & baptismo, pugnaret contra Carolum, essetque ejus ætas adventu illius in has oras vetustior, non potuit Paderbornæ nasci, neque à Paderborna nomen ferre, si primum à Carolo condita fuisset, vel appellata. Neque id Gobelinus Persona confirmare audeat. Nam quod adjungit, ab iis Saxonibus,

bus, qui Longobardos, duce Alboino, in Italiam comitati, se ab iis circa annum Domini DLXX. sejunxerunt, ædificatam, vel nominatam esse Paderbornam, longius etiam abest à vero. Nam illos ex Italia profectos, arma intulisse in Gallias, ibique à Mummulo Francorum duce fractos, atque subactos, retrò unde venerant recessisse legimus, nusquam verò, in has oras remigrasse. Sed hæc hæctenus. Nunc, ut institui, quid de origine Paderbornæ sentiam, explicabo. Quod plerisque in rebus usu venire solet, ut unius interitus, alteri præbeat nascendi locum, id Paderbornæ accidisse iudico. Saxones enim cum à Visurgi profecti se primùm his regionibus intulerunt, ut paullò antè ostendi, non vacuas hominibus reppererunt. Quare tametsi Sicambri, cæterique populi, tot copiis in Romani populi terras ultra Rhenum traductis, pristinas suas vires acciderant, tamen non usque eò fracti erant animis, ut loca munitione, & frequentia populi nobilitata, ultrò advenientibus hostibus indefensa traderent. Hujus generis cum esset Aliso, toto eo tractu, qui inter Visurgim, & Alisone[m] jacet, non magno negotio in ditionem redacto, facile est suspicari ab Alisone, primam esse Saxonibus injectam moram. Interea dum opperiantur, dum se suaque Sicambri, ultrò, vel armis compulsi dedant, videtur illa loci amoenitas, & ubertas elegantissimorum fontium, in qua castra fecerant, quamvis barbaros id temporis Saxonum animos permovisse, ut in eo loco Urbem conderent. Quoniam verò veteres in numero multitudinis pleraque nomina quarta vocali terminabant, quæ nos per secundam efferimus, (dicebant enim *thi engelon*, *thi heilgon*, *thi bronnon*, seu *bornon*) & jucundissimos hos tres nostros fontes Patherbrunnon visum erat nominare, ideò Urbi ipsi idem est nomen indicum. Sed quid sibi vult illud Pather? Colligimus enim sic à majoribus enuntiatum esse, quòd ita crebrò scriptum reperimus, nimirum cum lingua Germanica veterem illam suam asperitatem retineret. quemadmodum enim paullatim articulum *thi* mollius pronunciarunt *die*,

Gregor.  
Turon. l. 4.  
hist. Fran-  
corum c. 7.

iza ex Pather fecerunt Pader. Testatur Gobelinus à Pado derivatum, qui, ut ait, ex tribus fontibus sibi invicem prope surgentibus ad pedes Alpium in unum alveum concurrentibus oriatur. quæ descriptio non congruit cum iis quæ à Strabone, Plinio, Ptolemæo, Leandro Alberto de origine Padi memorantur. Sed faciamus non spectatam esse in hac appellatione tam accuratam similitudinem, si cui id sequi libebit, dicet à Pado factam esse Paderam, quemadmodum brachium Padi, quod est ad Ravennam, Padusam dictum accepimus. Reperitur quoque scriptum Padesbrönnen, ubi videri possit deductum nomen ab eadem origine atque ipsum Padi vocabulum. Refert enim Plinius ex Metrodoro, Padum nomen accepisse ab arbore picea, quæ multa circa fontem, quæ Gallicè Pades dicatur. Verùm unde Saxonibus nostris, quos eo tempore quasi more ferino vixisse ait Venantius, ea eruditio, & cognitio linguarum? Equidem malim fateri nescire me, unde illud Pather, in nomine Patherbornæ, perinde atque obscurum est quid sibi velit Mimigarna, in nomine Mimigarnafordæ, quo aliquot sæculis dicta fuit ea Westphaliæ Urbs, quam hodiè Monasterium nuncupamus. præsertim cum illa à Pado derivatio nullius è veteribus auctoritate nitatur. Romanis certè hi fontes, Luppia fontes perinde dicebantur, atque ille Luppesspringensis, atque adeò qui nobis Padera est, non alius ac Luppia, quanquam necdum conditâ Paderbornâ, antequam ars aliquid moliretur, non videantur nostri fontes in unum alveum fuisse collecti, sed temerè, ut casus ferebat, per subjectos campos lapsisse in Luppiam intulisse. Eò factum est, ut cum Sicambri vetus Luppia nomen his fontibus tribuerent, Saxones ejus appellationis ignari novum iis vocabulum attribuerint. postea verò occupato Alifone, didicerunt à Sicambriis Luppia nomen: hæsit tamen iis fontibus, quos prius in potestatem redegerant, novum Paderæ nomen. Quocirca cum antea duo tantùm amnes ad tuam arcem, Princeps Illustrissime, confluere dicerentur, deinceps tres sunt numerati,

*Annales  
Cânifiani  
an. 777.  
Lib. 3. c. 16.*

*Lib. 3. 7.*

*Vide Gobelinum.*

rati, cūm revera Luppia, & Padera unus, atque idem sit fluvius.

## C A P U T XII.

*Instauratum videri Alifonem à D. Carolo Magno.*

**P**Otiti Alifone Saxones, omnique circa eum regione, secundâ fortunâ elati, ausi Francorum vestigiis insistere, devinctis sibi belli societate Thuringis, Rhenum & ipsi transcendunt, rati idem sibi in Francos licere, quod illis in Gallos, aliosque Romani Imperii populos licuisset. Ea Gregor. Turon. l. 36 c. 7. l. 4. c. 10. res Francos coëgit arma retrò in Saxones Thuringosque convertere, donec exciso florentissimo Thuringorum Imperio, Saxones vestigales facerent. Contigit hoc anno CHRISTI DXXVII. Quo ex tempore nunquam desierunt Saxones, sæpe excusso Francorum jugo, ad libertatem eniti; donec à Carolo Magno Francorum rege, antequam à Leone III. Pontifice Maximo, qui Paderbornæ fuerat, Imperator Populi Romani renunciaretur, bello pressi simul Francorum imperium, simul CHRISTI religionem amplecterentur. In eo bello non dissimili causâ atque olim Drusus, castellum hoc ipso loco Carolus videtur condidisse. Cūm enim Saxones denuò Francis rebellassent, eosque jam ulturus Carolus Wormatiâ properaret, perterriti, inquit Regino, *ad locum ubi Lippa oritur venerunt, ibi se suamque patriam Regi tradiderunt, & spoponderunt se Christianos esse debere. Tunc Rex unâ cum Francis restauravit Heresburgk castrum, & aliud castrum super Lippam, ubi venientes Saxones unâ cum uxoribus, & parvulis innumerabilis multitudo baptizati sunt.* Non possum iis assentiri, qui hoc posterius castrum procul collocant à Luppia fontibus. In annalibus enim, qui Astronomo tribuuntur, hæc Saxonum deditio, & baptismus eodem prope modum loco describitur, ubi Carolo obviam venerunt, hoc est ad Luppia caput. Sic enim habent: *Ad fontem Lippia veniens, immensam illius perfidi populi multitudinem, velut devotam & supplicem, ac quasi erroris sui veniam poscentem invenit. Cui cūm & misericorditer ignovisset, & eos, qui se*